

Epilogus ad Lectorem.

Dispice nunc Amice Lector, & illo, quem tibi Deus largitus est, intellectu tanquam rationem redditurus, utere. Nosti illud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Et illud ejusdem cap. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* promisit Christus cum Sponsâ suâ Ecclesiâ se mansurum sine divortio, promisit contra eam inferos non prevalituros. Vidisti conformitatem hujus nostræ Ecclesiæ cum primitivâ, consentientia tot seculis Conciliorum, SS. Patrum testimonia: Scis ab eadem hac ad Indos, Japones, Brasilos, Chinas, Tartaros &c. illatam, propagatam, confirmatam Christi fidem, alio eorum nullo, qui eò illam intulerunt, terreno lucro, quam vitæ & sanguinis pro Christo jacturâ. Nullum Ecclesiæ hujus nostræ dogma invenies, quod non credidisse reperies illos, qui vitæ morumq; sanctitate & doctrinâ clari, multis seculis Ecclesiam, dum viverent, Illustrarunt, ideoque Sanctorum Patrum communi appellatione censentur. nisi oculos claudas, facile videbis hodiernos Romanæ Ecclesiæ fidei articulos tunc in Ecclesia Christi creditos, quando eam in luculentum fidei testimonium millium multorum Martyrum sanguis irrigavit. Considera tecum ista, & dic obsecro mihi, quid tandem est quod te prudenter movet, ut inferos credas contra Ecclesiam prevaluisse, Christum ante seculi consummationem eandem deservisse? Lutheri, inquires, Calvinique hoc asserentis auctoritas, aut rectius fortasse, quia tu ita sentis, quia hanc opinionem cum lacte hausisti, in ea nutritus es, adolevistis, consenuisti. insania, crede mihi, ista est: & cum solidi tamen nihil habeas, id te pudebit dicere. Ostende sis Lutheri, Calvinique vitæ morumque sanctitatem, aut ullius Ministrorum tuorum. ubi est in imaginariâ illorum, aut tuâ Ecclesiâ, Evangelicorum Christi consiliorum usus? Ostende in Magistris tuis beatos spiritu pauperes, quales fuere Apostoli, cum dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Quis Prædicantium tuorum laudatam tantopere ab Apostolo sectatur Virginitatem, aut eam suis sectandam suadet? Unde etiam mirum non

III.

non est quod Ministri Vestri ab Indis Iaponibusque ad Christum ad
 ducendis abstineant; hoc enim non paterentur uxores, & prolium
 greges, quales si Apostoli habuissent, an unquam tot dissitæ gentes
 fidei lumen vidissent? dabisne in toto Ministrorum tuorum grege,
 vel unicum, qui cum Apostolo *non quasi aërem verberans castiget cor-
 pus suum*, ne eum alijs prædicaverit, ipse reprobus efficiatur? ubi
 mortificationis interioris exteriorisve studium inter ipsos Doctores
 tuos? Ostende etiam, vel unicum verbi Ministrum, qui eam vitam
 egerit, ut mortuus communi suorum calculo, ob vitæ integritatem
 (de doctrinæ fama non loquor) pro sancto sit habitus, aut quem
 mortuum miracula commendârint. quorum omnium cum nullum
 possis, quid, amabo, te fascinat? quid retinet, quo minùs in ejus
 properes Ecclesiæ gremium, in qua omnia ista invenies? à qua tunc
 exierunt Ductores, Doctoresque tui, cum pejores esse cœperunt, à
 qua etiam nunc nemo egreditur, nisi ut licentius vivat, nisi quia cru-
 cem Christi invitus tulit, mortificationem, temperantiam, religiosam
 disciplinam, studium virtutis, castitatem gravatè coluit, si tamen
 coluit. refer obsecro periculosè aberrantem pedem, ad Ecclesiam,
 illam quæ toto Orbe diffusa est, una est, sancta est. hoc à te meretur
 Christus, qui eam proprio sanguine acquisitam, super Petram fun-
 davit inconcussam, hoc obtestantur militantes, hoc desiderant tri-
 umphantes fratres tui. Vale, & quod moriturus, imò à Christo
 judicandus elegisse voles, nunc amplectere.

Errata Typographica Prudens Lector
 facile corriget.

F I N I S.











